

- 152 B comuni unam marcham. ¶ Et si mercator habuerit // aliquem defectum, satisfatiatur ei per dominium de camera comunis. ¶ Et quod nulla persona civis vel habitatrix Tergesti sit ausa travasare vinum aliquod super aliqua fetia alterius vini, sub pena decem libr. par. pro quolibet vase. ¶ Et quod nulla persona audeat lavare vinaciam cum aqua, causa reponendi super vinum vel implendi vas vini, sub pena centum sold. par. comuni persolvendorum. ¶ Et quod nulla persona civis vel habitatrix Tergesti sive forensis audeat nec debeat affaitare vel affacare vel facere affaitari aliquod vinum cum melle tribiano limine de roço et vitrio spagno modo aliquo, sub pena quinquaginta libr. par. pro quolibet contrafatiente et qualibet vice et pro qualibet vegete, et tam dominus vini quam ille qui affaitaverit cadat ad penam predictam, et quilibet teneatur accusare contrafatientem sacramento. ¶ Et quodlibet dominium iudicum teneatur eligere duos offitiales, qui offitiales habeant providere et inquirere de predictis et accusare contrafatientes, et habeant tertiam partem condempnationum et medietatem vini. ¶ Et nullus, qui de cetero vendiderit aliquod vas vel butixelam vini, sit ausus vel presumat sfonderare vel sfonderari facere aliquod vas vel butixellam vini venditi, nisi primo denuntiaverit dictis talibus officialibus vel alteri ipsorum, qua denuntiatione facta, ipsi tales offitiales vel aliquis eorum teneatur ire ad videndum
- 153 A feciam de vasibus vel butixelis vini, // et si inveniretur aliquem contrafecisse, cadat ad penam supradictam, et incontinenti cum aliquis denuntiatus fuerit, dominus potestas vel rectores qui pro tempore fuerint sacramento teneantur mittere duos bonos homines ad videndum predicta, et adhibeatur fides dictis talibus personis ibidem missis, si inventus fuerit aliquem contrafecisse, non preiudicando dictis talibus officialibus aliquod offitium quod habuissent habuerint vel habere possent.